



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Ad part. 4. Quæst. 17. Decisio C. Ex dispositione Sacri Concilii Tridentini
Ordinariis non subjacent Ecclesiæ nullius Diœcesis etiam euratæ; & de
jure celebrandi in Ecclesia exempta quoad Episcopum, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Ad part. 4. Quæst. 17.

DECISIO C.

Ex dispositione Sacri Concilii Tridentini Ordinariis non subjacent Ecclesiæ nullius Diocæsis etiam euratæ; & de jure celebrandi in Ecclesia exempta quoad Episcopum, & celebrandi extra eandem quoad Prælatum ipsius Ecclesiæ exemptæ.

R. P. D. C E R R O.

Lucen. Jurisdictionis.

Lunæ 26. Junii 1662.

S U M M A R I U M.

- | | |
|---|--|
| <p>1 Exemptio privative concessa quoad Ecclesiam principalem, censetur etiam concessa quoad membra.</p> <p>2 Episcopi præcipua jurisdictio consistit in vilitatione.</p> <p>3 Jurisdictio Episcopo expresse non delata arguit exemptionem præservatam.</p> <p>4 Observantia declarat actum & animum præcedentem.</p> <p>5 Episcopis non denegatur celebratio Missæ in Pontificalibus in quibusvis Ec-</p> | <p>clesis Regularibus etiam exemptis.</p> <p>6 Factum de licentia alterius probat fieri non posse sine ea.</p> <p>7 Ecclesia Parochialis Regularium subjacet Episcopo quando est exempta, secus quando est nullius Diocæsis. Et num. 8. & 9.</p> <p>8 Abbates prohibentur exercere Pontificalia extra eorum Ecclesiam, nisi contrarium ex privilegio doceatur.</p> |
|---|--|

ORta est controversia inter Episcopum Lucensem, & Abbatem S. Vincentii del pino Oppidi de Monforte super nonnullis actibus jurisdictionalibus, & plu-

& plures emanarunt sententiæ coram diversis iudicibus in partibus: at causâ devolutâ ad Rotam, mihiq; commissâ, discutiendum proposui.

An Episcopus Lucen. habeat jurisdictionem cumulativam etiam in Ecclesia Monasterii S. Vincentii exceptâ visitatione.

An Abbas possit exercere Pontificalia extra Ecclesiam sui Conventus, & ab illa exire cum Mitra, & Baculo in Processionibus publicis, quæ solent fieri per vias dicti Oppidi, & suorum terminorum, vel potius hoc spectet privativè ad Episcopum.

An Abbas possit exercere pontificalia in Ecclesiis aliorum Conventuum, qui non sint sui Ordinis, licet habeat licentiam eorum Superioris absque licentia Episcopi, & dictus Abbas possit concedere tales licentias aliis Abbatibus, vel potius hoc spectet privativè ad Episcopum.

An Abbas possit indicere Processiones generales in dicto Oppido, vel potius hoc spectet privativè ad Episcopum, quæ omnia fuerunt resoluta pro Abbate. Respectu enim primi Articuli concernent. jurisdictionem privativam Abbatis in dicta Ecclesia proprii Monasterii, ipse fundat suam intentionem in instrumento concordie inter olim Episcopum, & Abbatem initæ de anno 1604. ubi inter cætera declaratur, quod jurisdictio ordinaria Oppidi de Monforte, inter ipsos ad præventionem administraretur cumulativè in omnibus Ecclesiis d. Oppidi, & deinde convenerunt Abbatem in Ecclesiis unitis proprio Monasterio habere jurisdictionem privativam in causis Matrimonialibus, Beneficialibus, Criminalibus, Civilibus, decimilibus, & mixtis, reservata eidem Episcopo personali visitatione cum nonnullis conditionibus, unde dum postea dictum fuit, quod Monasterium cum Ecclesia S. Vincentii remanere debeat liberum & exemptum à visitatione Episcopi in totum, ex hoc patet, Abbatem habere privativam jurisdictionem ordinariam in d. Ecclesia, quia si illa conceditur privativè, quoad Ecclesias unitas ipsi Monasterio ad favorem Abbatis, eò magis dicendum est voluisse partes à cumulativa jurisdictione Episcopi eximere Monasterium ipsum cum Ecclesia Abbatiali, cui tanquam principali cæteræ Ecclesiæ annexæ inhaerent, uti membra & partes, cap. recolemes §. Cæterarum de Stat. Monach.

Idque colligitur ex eo, quod privativa jurisdictio in Ecclesia unita præservatur Abbati cum præfato pacto ad favorem Episcopi, quod habeat facultatem illas per semetipsum visitandi, successivè verò dum agitur de Monasterio, dicitur quod illud remaneat liberum à visitatione in totum, quæ dispositio demonstrat, quod partes voluerint prosequendo ordinem, non solum præservare Abbati privativam, etiam in Monasterio, quemadmodum antea immediatè fecerunt in annexis, sed ulterius tribuendo majorem exemptionem Monasterio, illud à visitatione Episcopi liberant, unde arguendo à majoritate rationis, sicut voluerunt à visitatione Episcopi, ita

2 pi, ita dicendum est voluisse eximere à cumulativa jurisdictione, quod semper eidem competit, non obstante exemptione, ut habetur in Concil. Trid. sess. 7. cap. 8. de re. form. & alius allegatus, dixit Rota in Barchionen. jurisdictionis. 4. Julii 1646. §. nam quod ad Episcopum coram bon. mem. Bichio.

Quod fortius evincitur, ex quo nulla alia potest assignari ratio, propter quam Abbati fuit præservata cumulativa in Ecclesiis unitis, nisi quia à principio jurisdictione plenaria Oppidi de Lemos hodie nuncupati de Monforte cum suis Confinibus iurata Abbatibus prædecessoribus concessa cum potestate ligandi & absolvendi, ut patet tam ex dispositione Concilii Oveten. Anno 819. quam etiam ex donatione Alphonsi Regis Hispaniarum, cui accessit subscriptio plurium Episcoporum Hispaniæ, signanter Episcopi Lucensis, junctâ confirmatione Innocentii Papa III. quod magis congruit Monasterio, quam Ecclesiis sibi annexis, quia concessionem prædictam, non d. Ecclesiis, sed eidem Monasterio factæ fuerunt, & sic in dubio, dum constat de præcedenti titulo & possessione Abbatis, transactio ad ejus favorem stricte est intelligenda, ita ut ubi expressè non fuit delata jurisdictione Episcopo, censetur eidem Abbati præservata, juxta doctrinam Ancharan in cap. postulasti, num. 45. de for. compet. Rota in Toletana jurisdictionis 9. Maji 159. §. Quoniam illud in fructuam R. P. D. meo Bevilacqua.

Comprobantur prædicta ex Testibus relatis in *summario Abbatis num. 4.* qui deponunt de privativa jurisdictione ejusdem Abbatis in Ecclesia Sancti Vincentii per annos quadraginta, & ultra, absque eo quod Episcopi Lucenses aliquid egerint in contrarium, & quod aliter esse non possit, quin ipsi sciverint, vel audiverint, ex quo desumitur privativam jurisdictionem fuisse in concordia præservatam Abbati etiam in dicta Ecclesia Sancti Vincentii, nam observantia optimè declarat animam, & actum præcedentem, per Text. in L. sed est Iulianus §. provide, & §. interdum ff. ad Maced. Coccin. Dec. 77. num. 4. & Sancti Severini decimarum 27. Junii 1647. §. non obstat circa med. coram Reverendiss. Terracinen.

Non obitant actus, qui ab Episcopo prætentuntur gesti in prædicta Ecclesia S. Vincentii. Quia, vel non concernunt jurisdictionem, prout celebratio Missarum Pontificalibus, quæ non denegatur Episcopis, in quibus Ecclesiis Regularibus etiam exemptis, quamvis ibidem jurisdictionem non habeant, ut ex Decreto sacre Congregationis Rituum tradit *Modern. Pat. Dian. oper. moral. Tom. 3. Tract. 2. delegul. quæst. 109. vers. Nota tamen;* vel demum fuerunt facti annuente Abbate, ut de Sacramento Confirmationis liquet ex Epistolis, tam ejusdem Abbatis, quam Episcopi, proinde non relevant, sed potius retorquentur, cum aliàs absque licentia Abbatis videatur non licuisse.

Et hinc non est momenti, quod Ecclesia Sancti Vincentii sit Patochialis, & curata, tanquam talis sit subiecta Episcopo in concernentibus curam animarum, ex D.

ex Decreto Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 11. de Regul.* quia Concilium loquitur de Ecclesiis & Monasteriis exemptis, quæ sunt in Diocesi, ibi: *in cuius Diocesi sita sunt*, & sic non comprehendit Monasterium, de quo agitur, quod est nullius jurisdictionis, & ejus Abbas reperitur in possessione illam exercendi privative ad Episcopum, cui propterea nec juris assistentia suffragatur, ex deductis in *Elmen. Jurisdictionis §. hinc non relevat 19. Junii 1647. coram bon. mem. Dunozeo.*

Idem Domini censuerunt, quoad secundum, tertium, & quartum articulum, non obstante Decreto Sacre Congregationis Rituum edito 27. Septembris 1659. ubi prohibentur Abbates exercere Pontificalia extra eorum Ecclesias; quia cum Abbas per transactionem per Sedem Apostolicam confirmationem habeat in Oppido de Monforte, & illius Ecclesiis cumulativam jurisdictionem, non potest Episcopus allegare dictum Decretum seu privilegia, per quæ valeat Abbatem impedire hanc jurisdictionem sibi per pactum præservatam in transactione Episcopo summopere favorabili, dum ex prædictis constat, quod totalis jurisdictione ante existeret penes Abbatem.

Et ita utraque parte Informante.

Ad part. 4. Quest. 19. *Additio.*

Exempti an teneantur ad Synodum? Nota quod fundamentum & ratio accessus ad Synodum est subjectio jurisdictioni Episcopali, & præcipue illi speciei jurisdictionis, quæ expeditur visitatio; Synodus enim est præambulum visitationis, ut notavit *Fagnan. in C. quanto numero 56. de offic. Ordin.* Ex hoc ibi colligitur unam Regulam, quod omnes illi exempti etiam Regulares, qui ex decretis Concilii Tridentini visitari possunt ab Episcopis etiam jure tantum delegato, teneantur venire ad Synodum Diocesanam, ut in specie dictum fuit de Regularibus, qui vel Capitulis Generalibus non subduntur, vel curam animarum personarum secularium exercent. Item de Rectoribus Ecclesiarum curatarum nullius Diocesis sacra Congregatio respondit, teneri ipsos interesse Synodo vicinioris Episcopi qui ex Concilio jus habet visitandi. Refert idem *Fagnan. in C. quod super his numero octavo & decimo, de major. & obed. & novissime per lan. memor. Alexandrum VII. declaratum fuit Abbates, & alios*

Hhh 3 Superio-